

Dissertatio inauguralis de hydrophobia / [Donald Butter].

Contributors

Butter, Donald.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : P. Neill, 1820.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gsadvh59>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO**INAUGURALIS****DE****HYDROPHOBIA.****DONALDO BUTTER Auctore.****CAP. I.****DE NOMINE.**

DE morbo, vulgò *Hydrophobia* appellato, pauca est in animo dicere. In levi hujusmodi tentamine, nominibus non uti consuetioribus liceat, quum ex iis usurpati verendum est ne erremus aut periclitemur.

A



[1820]

Hydrophobiae verbi talia inducere usum, inter omnes convenit. Fluidorum timor signum est, quod non solum in aliis accidit morbis, sed etiam nonnunquam deest in aliqua parte hujus morbi decursūs.

Prava talis appellatio nullum in aliis exemplis incommodum affert. Hic, autem, *diagnosin* malè afficit; et morbo animalium brutorum indita veneni quod pantaphobiam excitat genetrici, fidem nocivam sæpe creavit timorem aquæ semper hujus esse signum.

Vox *PANTAPHOBIA*, ($\pi\alpha\varsigma$ omnis et $\phi\beta\sigma\varsigma$ timor), mentem pavidam et suspicacem, et rerum sensus percellentium externos intolerantem, notam perpetuam et morbi ferè pathognomonicam, satis signare videtur. Hoc verbum metum fluidorum pariter indicare verum est; nunc autem multo minùs prominet: denique, aptissimum apparet morbo parùm intellecto, quia vim nullam definitam habet, omnino ideoque est periculo experis.

Alia nomina, similiter ab uno signo deducta, *Hydrophobiae* autem anteponenda, usurpata vel proposita sunt: qualia *Hygrophobia*, (mero ap-

tissimum signo), *Phobodipso*, *Pheugydria*, *Dyscatapotia*. *Lyssa*, *Cynolyssa*, *Rabies*, *Rabies Canina*, *Rabies Contagiosa*, *Cynolesia*, et *Cyanthropia*, rejiciuntur; quia furorem non signum universale, et causam excitantem non solam, denotant; et quia pro morbo brutorum usurpata sunt, de quo postea plenè dicendum.

CAP. II.

DE DEFINITIONE.

DEFINITIO brevis et accurata, nomine convenienti magis est usque optanda: hactenus, autem, difficillima excogitatu, ob exempla morbi in rebus inter se differentia quæ maximi videntur momenti. *Catalogus* sequens signorum, vix pro definitione habendus est.

Pantaphobiæ exempla plurima, memoriæ tradita, quæ non a contagio nata esse vix dubitari

potest, duas morbi varietates, secundum causas remotas, formari reposcunt.

Signa in *charactere generico*, ut perceptiones injucundæ, dotes externæ corporis mutatæ, et functiones impeditæ, collocantur.

PANTAPHOBIA. Dolor capitis, œsophagi et epigastrii — languor, lassitudo — anxietas maxima, summa inquietudo — timor suffocationis, obstructionisque aut angoris in *œsophago* sensus, potu conspecto adauctus — vis corporea solito major — *œsophagi* et muscularum qui animi arbitrio objiciuntur convulsiones, similiter auctæ vel genitæ, in opisthotonon interdum abeuntes — mens suspicax, et pavidus vel iracundus, sine causa manifesta — obtutus feroceſ et penetranteſ — raro mordendi cupiditas — solitudinis desiderium — tactus, visus et auditus acutissimi, unde signa perpetua quæ nomen propositum præbent — somnia aliquando horrifica, brevi convulsionibus finita : sed ferè semper vigilia ; et, morbo ingravescente, delirium — spiritus acceleratus et abnormis, cum suspiratione et singultu profundis convulsivis, quales in frigidarium ingrediens subit, quæque liquidis

visus augmentur—vox rauca—pulsus, primò parùm mutatus, postea, debilis, celer et intermit-tens—*dyscatapotia* cum *hygrophobiæ* gradibus variis—ructus molestus—vomitus — saliva vis-cida cum horrore exscreata, dum sitis maxima ur-get,—alvus pertinaciter adstricta. Pauciora vel plura horum concurrere solent.

Var. α . *P. VENENATA*,—a veneno quodam ani-mali corpori admoto. Post hoc, morbus qua-dragenta circiter diebus elapsis, accedere solet : eumque ferè prægreditur vel pruritus, vel inflam-matio vera, vel suppuratio, vel livor dolorificus, partis veneno imbutæ; unde dolor per cursum nervorum majorum, caput versus, collum, ventri-culum pelvemque serpit.

Var. β . *P. SPONTANEA*.—Non ab hac causa nascens ; ideoque his notis carens. Motus animi vehementes solæ sunt causæ remotæ quas exci-pere videtur. Cum varietate priore nexum ea-tenus habet, quòd morbi adventum post virus ad-motum animi affectus sæpenumerò festinant : *pantaphobia* talia insequi visa est, veneno loco

diu antea applicato, qui nulla signorum, morbo
ineunti, supradictorum exhibuit. In exemplis
idcirco nonnullis, prorsus incertum foret cuinam
varietatum morbus esset referendus,—testimonio
nullo neene virus admotum fuisse obtinendo.

Hæc autem distributio nequaquam sic perpe-
ram fieri demonstratur: frequenter, enim, *panta-*
phobia sine dubio spontanea evenit.

Illustris CULLENI nec distributio nec brevis
definitio adsciscitur. Hic enim signum solum-
modo describit unum; insigne profectò, non au-
tem perpetuum, minusque peculiare: ex pluribus
signis *pantaphobiæ* definitionem adhuc oportet
constare; signa enim pauca, insignia, propria, ea-
demque universalia, non habet. Et distributio
CULLENIANA signo fortuito raroque, delirii for-
tasse cum ratione curandi præpostera effectu, ni-
titur.

Nec magis doctissimum Dominum JOANNEM
MASON GOOD sequi placuit, in egregia ejus *No-*
sologia, qui morbi speciebus ab animali læden-
ti nomina dedit. Nomen genericum *LYSSAM*,
(Λυσσα, rabies), anteposuit, quia et *pantaphobiæ*

et morbi brutorum pestiferi notam designat. Eo autem ipso in errores duceret maxime evitandos: hinc ei pro vitio objiciendum. Distributio sua non e lato morbi conspectu fieri, eoque parùm idonea, videtur.

CAP. III.

DE DIAGNOSI.

MAJORIS est *diagnosis* momenti in exemplis malorum sanabilium *pantaphobiæ* similium, quam ipsius, lethiferi et immedicabilis.

Morbi qui hunc maximè referunt *hysteria* et *tetanus* sunt.

Hygrophobia, autem, nota per insignis, in aliquo oriens morbo, huic consimilem reddet. Inflammationem *œsophagi*, *rheumatismum* *spasmodum* comitetur, eaque sive *idiopathica* sive affectionis signa aliis, febris scilicet *typhodis* vel intermittentis, aut noxiiorum in ventriculo effectūs.

Eadem mobiliorem qui aliquem ab ea crucia-

tum conspexit, vel qui ab animali vulnus non venenatum accepit, adoriri potest; in utroque exemplo remediis corpori admotis et menti sanabilis.

Hysteriam nonnunquam et *tetanum* comitans, congeriem signorum *pantaphobiae* simillimam gignit. Quivis iterum horum a morsu animalis non veneniferi excitari potest;—fons altera confusione. Experientia autem ex ampla, Dr SHOOLBRED existimat, talem *pantaphobia* aspectum habente, a nullo qui morbum semel vidisset, eundem exinde dignotum non iri.

CAP. IV.

DE CAUSIS REMOTIS.

I. DE CAUSA EXCITANTE.

I. IN *PANTAPHOBIA VENENATA*.—Quantumcunque olim dubitata fuit, nihil hodie clariū innotuit quām ratio hoc nomen specificum dandi. Satis superque constat, hanc *pantaphobiae* varie-

tatem a materiâ corpori humano admota enasci, in morbo animalium quodam secretâ, et mixta cum eorum saliva profusâ. Ad *pantaphobiam* dignendam, necesse est venenum in forma liquida apponi, vel solutioni continui, vel contusioni gravi, vel parti alicui cuticulâ tenui tectæ, veluti labiis. Exemplis traditis veneni in spiritu bruti morbum dignentis, fides apud hodiernos denegatur. Animantia alia, hoc viro corporibus suis aptè admoto, morbos subeunt plus minusve existiales; omnes signa pluria communia, et quædam *pantaphobiæ* signorum, sibi præferentes: in morbo quorundam animalium, virus renascitur, cum mordendi cupidine quæ illi perennitatem confirmat.

Remedii inopia ad *pantaphobiam* arcendam, morbi brutorum indagationem solicitam homini monstrat, pro unicâ viâ numerum eodem absumptorum minuendi.

Verorum, igitur, graviora et certissima, quorum de hac re potimus, statim recensebuntur. Ambage vel nominibus ambiguis et perniciosis semel et simul evitatis, verbum adhibebitur, morbi signum maximi longè momenti, et sæpe uni-

cam, spectans,—viri secretionem. *SIALODELEA*, (*Σιάλον*, saliva, et *Δηλεω*, lædo), hic sufficere potest,—**MORBUS SALIVÆ LETHIFERÆ**. Nihil docet hoc ullum alium morbum comitari; vel non, cum apparat series signorum quem plerumque stipat, adesse.

Aliam præter salivam humorem afficiat virus necne non liquet. *Canis sialodelei* hepar pro remedio frequenter edit impunè ab eo demorsus: at succus gastricus venenum fortassè æque ac viperæ prorsùs demutat, quo innocuum evadit.

Non forsitan constat in quantum inter animalia vis hujus veneni valeat. Homo, omnesque quadrupedes et aves domesticæ, aliquibuscum feris ejus imperio parent.

Nec certius quot animalia virus renovare possint. Has species *LINNÆANAS*,—*Felis catus* (domesticum), *Canem familiarem*, *Canem lupum* et *Canem vulpem*, hoc facere notissimum est. Inscientia nostra de aliis feris, huic morbo obnoxiiis, ad eumque impertiendum pollutibus, mores observandi eorum difficultati fortasse debetur. Experimenta Dominorum MAGENDIE et BRESCHET recentia, ex quibus *pantaphobici*

salivam, in cane saltem *sialodeleam*, si non *pantaphobiam* in homine, gignere posse, sibi persuaserunt, affidentibus tantum ignotis exposita sunt, et non leviter creditis ita exitum eorum repugnat, ut ad illam opinionem firmandum, ea necesse est caute iterari.

DE SIALODELEA CANIS.

Pantaphobiæ causa excitans longè frequentissima canis *sialodelea* est: inde hancce omnis de hac re notitia nostra, quamlibet incerta et infida, solam fermè respicit.

I. DE SECTIONE CADAVERIS. Inflammationis partium interiorum, præsertim intestinorum, testimonia ferè perpetuò conspiciuntur. Præter hæc, cerebrum, oculi, totum oris cavum, lingua, aspera arteria, pulmones et pharynx, similem interdum speciem exhibent.

II. DE SIGNIS ET EORUM RATIONE. *Sialodelea* primo indicari dicitur, se cane tradendo insolitæ cuidam occupationi,—frigida veluti lapides

et metalla lambendo, fortasse ad oris dolorem levandum. Vel stramina se circumvehendo et alia humo jacentia dat; vel stercus et urinam sua est et lingit:—delirii fors ineuntis indicia, ventriculique laborantis.

Ad suspicionem et rixas proclivis fieri notatur. Aliquem mordendi dolosè occasionem petit: hoc facto, statim requiescit.

Vultus moestus et anxius est, rubrique oculi, interdum humore pus referente circumdati. Si lingua et os non maximè tument, sonum edit horrendum, quem quidam *pathognomonicum* existimant, latratui æquè ac ululatui similem, capite elevato. Dolorem aliquem, sub abdomen solum cumulando, dorsumque incurvando, mitigare videtur.

Si constringatur, in appropinquantem paulisper furit. Libertatem vehementer petit; impedimentaque omnia non rodere cessat: quævis aliquando ei objecta mordit roditque. Liber, cupiditatem animalia mordendi exemplò exhibit; feles, canes, avesque domesticas primò, deinde homines et animantia alia, aggrediens.

Canes facultate insigni prædicti sunt, salivam

canis *sialodelei* confestim agnoscendi eoque fugiendi. Si caro hac oblita cani offeratur, eam olfacit; sed statim perturbatur, nasum anxiè friicans:—experimentum ad timorem levandum utile a cane non *sialodeleo* demorsi.

Canis *sialodeleus* plura millaria domo aberrat; et maximam illo tempore cladem efficit: morbus a canibus ignotis saepius accipitur. Si non vexatus nec defatigatus, domum postea revertitur.

Ex ore hiante saliva spumans viscida effluit. Siti vexatur, quam frustra, ore multum tumefacto, aquam lambendo extinguere conatur. Alvus piggerrima exercet. Somno tandem quasi oppresso, *paraplegia* gradatim supervenit; eamque, dies fere quatuor vel quinque post morbum primò conspicuum, excipit mors.

Canes multos vixisse et bene se habuisse, septimanas, menses vel annos post *pantaphobiam* veram morsu illatam, pro certo habemus: nec celare oportet, ut quidam ne morsis noceat fieri volunt. Remissio quoque interdum evenit, cane mansuescente et dominum agnoscente.

Delirii furorisque gradus, quæ nominum fon-

tes vulgarium, in exemplis variis plurimum differt. Nominibus, inde, *Rabiei*, *Rabiei Caninæ*, *Lysæ*, *Cynolyssæ*, objiciendum est, quod signum incertum et partiale nimis conspicuum, et etiam pro *pathognomonicō* habendum, faciunt.

Juvabit periculum a verbo *Hydrophobia Sialodeleæ* indito oriens indicare. Dominus BLAINE, *theriatus ex professo*, medicum clarum ab usu medicamentorum ad vulnus cuiusdam demorsi dehortatum esse, quia canem adhuc bibisse certior factus erat, memorat. Mirumque mihi dolendumque visum est, JENNERUM ad *hygrophobiæ* in *sialodelea* absentiam, præcisè locutum non esse: in errorem, quinimo, vulgarem, a nomine nascentem, incidisse videtur.

III. DE *diagnosi*. Ad hanc spectans notitia certa valdè desideranda est; nequaquam verò adhuc acquisita.

Canum est morbus unus quem *Sialodeleam* multum simulare ferunt,—morbus in lingua vernacula *Distemper*, οὐατ' ἐξοχην, appellatus.

Debiliores et octodecim mensibus minores sæ-

pius, ast omnium nonnunquam ætatum, et semel plerumque tantùm in vitæ decursu, aggreditur. Morbus vehemens est, trientem ad minimum ægrorum extincturus. Contagiosus est, per hali- tum cutis non per salivam, propagatus: effluvia pestifera in fomitibus condensata ad morbum gig- nendum diu valent. Quamvis in EUROPAE terrâ continente jamdiu cognitus fuerit, nullum testi- monium habemus eum in BRITANNIA ante me- dium seculum proximum apparuisse.

Pulmonum, animæ fistularum, oculorum, et na- rium inflammatorum, cum cerebri affectione, signa solita adsunt. Insuper, anorexia et vomitus, sitis- que magna sine *dyscatapotia*: initio ferè alvus so- luta, postea astricta. Sensus interni tunc diruun- tur et si ad hoc valens, domo canis aberrat, ore spumante, objecta lambens et rodens. Interdum *epilepsia* appetet; si revalescit, per totam vitam remansura. Tandem *paraplegia*, magna de- bilitas generalis.

Hæc signa, ineunte hebdomada secunda, post contagium, frigus, causamve aliam excitantem, ad- motam, plerumque incipiunt; et ad tertiam quar- tamve, aut moritur canis aut revalescit.

Intra tres vel duos dies aut viginti quatuor horas, vitam aliquando extinguit: pulmonibus vehementer inflammatis, mors tertio die ferè supervenit.

Ecce morbi descriptio ab EDVARDO JENNERO tradita, quoties gravissimus appareat; gradus enim quamplurimos habet. Ob experientiam deficiensem, *diagnosin* nullam hunc inter et *sialodeleam* dat.

IV. DE CAUSEIS REMOTIS. Ratio proposita ad *sialodeleam* ex insulis Britannicis extirpandam, his attentionem vindicat. Morbo nunquam non per contagium nascente solummodo nititur.

1, 2. Studio causas explicando flagrantes, antiqui peculiaria quædam in canis structura, nexum aliquem cum morbo habentia, se invenisse sibi suaserunt.

Sic PLINIUS scribit: "Est vermiculus in lingua canum, qui vocatur a Græcis Λυττα, quo exempto infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec fastidium sentiunt." Hic vermiculus est corpus exile, tendineum, frænum linguæ roborans, quod excidendi operatio absurdâ ad hunc usque

diem perficitur; sed sine fructu, *cyniatris* multis præclaris testantibus.

Adhuc nullum canibus esse sudorem vulgo fabula valet; antiquitus apud medicos pro causa *sialodeleæ* habitum, per conditionem alcalinam humorum, quam hoc gignere credebant.

3. Cibus Putridus: 4. Potus Deficiens. Comparatio forsan morbiscum aliquibus humanis, et veterum opinio de hujus causa proxima, magis quam exempla allata, inter causas remotas hos recensere impulerunt. Nec horum nec 5ti, Cœli nimirum Frigidioris vel Calidioris actio notando probari videtur: vel causas, saltem, alias ignotas, sive adjuvantes sive adversantes, quæ eorum efficientiam temperant, esse oportet.

Sialodelea enim in regionibus EUROPÆ et AMERICÆ polo arctico proximis, non autem cebrius quam alibi, evenit. Solitoque in Britannia frequentius, æstatis sub finem calidæ, semet ostendit; forsitan verò e commercio inter canes liberiore, canibus venaticis tunc latè dispersis.

In terris, iterum, nonnullis calidissimis, nunquam apparuit. Apud Bonæ Spei Promontorium, in regione ei proxima; in Syria, in Ægypto;

to, aliisque imperii Turcici partibus, prorsus ignoratur; CONSTANTINOPOLI præcipue, ubi canes numerosi vietu putrido utendi periculis, si ulla, simul objiciuntur. Cæterùm hoc nihil fors alius ostendit, quām causam contra *sialodelea* ibi pollentem existerc: morbum, enim, a terris circumjacentibus per contagium non illuc afferri, mirum aliter foret.

In insula ANTIGUA, quæ fontibus caret, potus deficiens cœlumque calidum consociantur: *sialodelea* autem nunquam ibi sævit. JAMAICA olim quinquaginta annos hoc morbo vacavit.

6. Ultima causa, apud aliquos sola, existimata, contagium est, cuius vehiculum venenum in saliva latens in *sialodelea* secretum.

Post virus admotum tres quatuorve septimas, morbi signa plerumque conspicua fiunt: intra diem decimum vel post mensem octavum morbum unquam apparuisse, non pro certo habemus.

Doctor SAMUEL ARGENT BARDSLEY morbum credens semper a contagio nasci, et in cane non ultra paucos menses latere, ad morbum ex his insulis extirpandum hanc rationem proposuit:
“ It consists in establishing an universal

"quarantine for dogs wjtbin the kingdom,
"and a total prohibition of the importation
"of these animals during the existence of
"such quarantine."

Nunc quærundum est, necne tam durum consilium tantumque inēundum, nihil profuturum sit.

Duos menses in eo perseverare necesse fore, auctor ipse concedit. Ast ex supradictis constat, octo menses ad minimum necessarios esse ad consilium a periculo defendendum in ipso molimine primo frustrandi.

Quinimo, in mente aliquis volvens, venenum exsiccatum in cujusvis rei superficie, viribus haud imminutis, diu manere, spatio temporis limites dare nolet. Domino TREVELYAN plurimos canes sæpius sic eripebat morbus; nec prius cessavit quam canum tugurii superficiem internam penitus mutasset.

Denique, invectio morbi e terra EUROPÆ Continenti obviam ire, impossibile foret.

Est usque 7ma vulgò habita causa *sialodeleæ* excitans, irritatio scilicet vehemens. Dominus ROSSI exemplum in feli hujusmodi narrat.

V. CAUSAS *sialodeleæ* PRÆDISPONENTES nescimus, si opinionibus vulgaribus et venerabilibus jam memoratis fidem denegamus. Hæ forsitan, cum aliis ignotis, causæ sunt prædisponentes, morbumque semper antecedentes in gradibus variis, pro contagii vi minoribus: ut in morbis quibusdam hominis conspicitur, a contagio plerumque manifesto, aliquando vix evidente, nascentibus.

Hic notandum est, veneni dotes vel copiam partemve corporis cui admotum, *pantaphobiae* adventum tardare vel festinare, aut ejus signa incoepit afficere, nullam causam esse credendi. Quum *pantaphobia* incipit, cursum tenet certum, quem ægri conditio sola afficit. Plus autem vendrum morbum superventurum esse, si pars, aut veste non tecta, aut non excidenda, aut plurimis nervis instructa, mordeatur. Ad dirum effectum gignendum, viri quantitas minima sufficit: incisuram levissimam a felis ungui excepit, cui paululum salivæ adhæsisse probabile est.

II. Ut *PANTAPHOBIAE SPONTANEA* æque sit simplex, aut æque bene comperta, ac venenatæ causa excitans, multum abest.

Affectiones animi vehementiores, præcipue deprimentes, plerumque notabilissima sunt quæ *pantaphobiae* spontaneæ accessui præire videntur.

Veneficium, interdum, et mentis affectus, morbi rationem causarum prædisponentis et excitantis, singulatim habere videntur. Hujusmodi fuit JOANNIS LINDSAY exemplum insigne, a Doctore BARDSLEY narratum; qui venenum, quòd duodecim annos ante admotum, nihil hīc valuisse credidit: mera opinio hoc, quæ nihilominus jam-jam impugnanda.

II. DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS

Per pauca noscuntur.

PANT. VENENATÆ quoddam potens proclivitatem præbere, verisimile est. Quì aliò fit, ut ab eodem cane simul demorsos, alios morbus corripiat, alios non; dum etiam in mente habetur sa-

livam fors non omnibus applicatam fuisse? Canes quam homines huic morbo procliviores existunt: ab omnibus venenis animalibus animantia facilius parva afficiuntur. *Pantaphobia* in regionibus calidis beneficio citius supervenire dicitur.

PANT. SPONTANEÆ temperamentum melancholicum et multum irritabilitatis pronos homines reddat.

Forsan *pantaphobiæ* proclivitatem a majoribus veneno imbutis ad natos tradi, conjectare haud foret absurdum. In morbis quibusdam verè nervosis hoc sine dubio videtur.

DE MORBI ANTIQUITATE. Verisimile est, ut tradit PLUTARCHUS, tempore ASCLEPIADIS, vel centum circiter annos ante æram Christianam, morbum in EUROPA primò apparuisse.

CAP. V.

DE SIGNIS. DE SIGNORUM RATIONE.

NOTABILE est, inter virus applicatum et *pan-taphobiam* ineuntem, corpus nullam mutationem quæ illi tribui potest, subire: vulnus autem ingens vel periculosum, et mentem multum turbat, effectus soliti sequuntur. Plerumque haud secus ac si non venenatum sanescit: quinetiam, in majore exemplorum numero quorum legi narrationes, morsus citius spe revaluit: aliquando diutius solito suppurat.

Quantum temporis spatiū, (hic, brevitatis causâ, Intervallum Latendi vocandum,) inter morsum et morbum interveniat, sæpe disputatur.

Longinquitas consuetior a trīginta ad quadraginta dies pertinet. Hanc ad duas septimanās curtatam et ad sesquiannūm productam, fuisse; pro aberrationis magnitudine, exemplorum nume-

ro gradatim minuto, omnes fermè concedunt. Ab auctoribus, autem, fide dignissimis, exempla per pauca tenemus, in quibus intervallum latendi usque ad horas viginti quatuor, et ad quadraginta annos, contractum productumque fuit. Sic catena formatur ab uno die pertinens ad quadraginta annos, in qua morbi exempla, pro distantia ab intervallo latendi consuetiori, gradatim rarescunt; per gradus, saltem, non satis perceptos, ad duos annulos qui revera veneni actionem finiunt, si tales sint, indicandum. Hanc opinionem sequentes, *pantaphobiæ* interdum alios morbos prædam ei debitam rapere credamus; morsis ab his prius confectis quam signa illius appareant.

Debilitatem fœmineam et infantilem intervallum latendi curtare, diu creditum est. Cœlum calidius eundem effectum præbere dicitur. Animali motus hoc certe efficiunt: hos *pantaphobia* sæpè illicò excipit. Hoc credere tenemur, licet *pantaphobiæ venenatae* primum signum cum sensibus internis nullum nexum habeat.

Signum mox describendum, si quando appareat, semper cætera antecedit. Pars demorsa vel inflammatione verâ, vel livore dolente, vel pruritu,

afficitur: interdum suppurat vel saniem emittit. Hinc dolor, cursum nervorum majorum sequens, ad trunci partes proximas citò tendere incipit: ita, si vulnus in facie vel in extremo superiore situm habet, dolor ad *pharyngem*, *œsophagum*, et caput pertinet; si in inferiore, ad pelvem. Dolores in his locis, sensus angoris vel obstructionis in *œsophago*, anxietas præcordiorum, singultus, suspiria profunda convulsiva, *dysuria* et ardor urinæ, et interdum *priapismus*, singulatim comitantur. Dolore subitò abscedente, vulnus torpescit.

Sensus omnes externi mirum in modum nunc acuuntur: hinc, fortasse æger iracundus et tristis et solitudinis cupidus. Si autem periculum suum perspicit, solitudinem aufugit, desperationi adhuc succumbens. Vultus anxietatem et miseriam maximas sibi induit.

Signo *hygrophobiâ* adveniente, ægri dolores plurimum augentur. Hoc sæpius fortè invenitur, inter nisum bibendi, qui multorum musculorum, *œsophagi* imprimis, convulsiones ciet, per reliquum morbi decursum simili modo et etiam causis levissimis, excitandas. Sensus in *œsophago*

molestissimus, a quibusdam ægris *chordæ* collum ligantis, ab aliis corporis alieni in gula hærentis, effectum referre dicitur: aliquando sensus ut a ventriculo surgens describitur, et sæpè ructu stipatur.

Cruciatus in primo bibendi tentamine lati, timorem experimentum iterandi creant, vel animo fortissimo præditis vix aut ne vix quidem superandam. Hi, forsan, cum rerum sensus valdè percellentium fastidio, et cujusvis ingratia vel formidati præsentis intolerantia, auctis, ad signum per totum reliquum morbi perstans explicandum sufficiunt, sine nexūs actione alicujus ficti inter morbum et liquida, ad hoc efficiendum per se valentem; qualis, denique **TIMOREM SPECIFICUM** olim vocatum, gigneret. Talem nexus non existere, hoc optimè docet, quòd bibendi cogitatio interdum ægrum oblectat, ægris semper de siti querentibus. Aliquando etiam subito et festinè multum unà haurire nititur, capite retracto, ita ut liquoris desensui faveat: *spasmi* autem discruciantes solus plerumque sunt hujus effectus, potu vomendo rejecto. **SALIUS DIVERSUS** hunc aquæ timorem primus rectè explicavit.

Hygrophobia, in variis exemplis in gradu varians, finem versus morbi ferè ingravescit. Ut fluidorum tantùm fastidium plerumque incipit, quod æger potum amovendo oblatum manifestat. Corpori paululum aquæ postea admotum, terrem excitat vel iracundiam. Deinde liquores visi; denique sonus quem agitati edunt, vel eorum nomina, audita, trepidationem, horrorem vel convulsiones generales, cum suffocationis sensu mortem minantis, excitant.

Animo ex usu imperantes hoc signum astantibus omnium primum ostendant; quod in exemplo recenti magnanimi **Ducis de RICHMOND** optimè visum est.

Æger languore et lassitudine afficitur, sed etiam anxietate maxima, et desiderio ambulandi, quod amori solitudinis opponi videretur. Est frequenter in hoc indulgendo quod aëris rivo repente exponitur. Hinc eadem palpitatio, et spiritus violenter acceleratus, et pectoris constrictio, quæ liquorum conspectum sequuntur. Ventum extemplo evitare conatur, in humum se projiciens, osque manibus tegens. Sed *orthopnæā* coactus, citò resurgit.

Postquam hæc signa sæpe repetita, impressio subitanea externa cuiusmodi ea inducere poterit: veluti speculum objectum, vel aliquid splendens; non autem quia aquam referunt.

'Timidissimus est, et injuriam aliquam in eum statutam valdè suspicatur. Hoc augeri, saltem, sæpe videtur, sævitie i[n]humanæ memoriâ olim per totam EUROPAM exercitatae, *pantaphobicos* inter culcitas plumeas strangulandi, ne aliis mor-su morbum impertirent.

Si delirio et ambulandi desiderio simul affec-tum constringere conatur, in furorem excitabitur, hominumque plurium validorum renixum super-abit: ibi tantummodo mordendi cupiditatem ma-nifestare creditur; nee profeetò de ea mirandum.

Perpauci *pantaphobici* vel paulisper dormiunt; aut paululum leviter dormientes somnia horrifica brevi excitant, convulsionesque generales.

Quamvis diu insomnes, oculi solito magis micant acuti et feroce[s]. Sensus revera omnes, externi et interni, ad finem usque morbi ferè, au-gentur vel acuuntur; omnesque corporis motus promptè perficiuntur. Oculi torvi rubent et effe-guntur; nares dilatantur vel convelluntur; denti-

tibus æger frendet; ex angulis oris retractis saliva viscida spumans profluit. Si his addantur screatus properus convulsivus, raucedo ob inflammationem, et anhelitus creber,—vulgi sententia, ægrum speciem et mores canina induere, ridicula non videbitur,—*pantaphobicum* latrare et mordere instar canis cupere.

Pyrexia vera *pantaphobiam* raro comitatur, et non ei necessaria videtur. Sanguis detractus nullam plerumque tunicam coriaceam albam ostendit. Pulsus morbo ineunte parùm afficitur; postea debilis fit, celer, et, sæpe, intermittens, cum palpitatione frequenti; corde et arteriis *spasmodorum clonicorum* participibus factis.

Fluidum viscidum subinde evomitur. Per totum cursum morbi alvus et anus constringuntur.

Fauces primò justo aridiores sunt: morbo autem ingravescente, secernenda augentur,—his maxime postulatis, ductibus irritatis, glandulisque a musculis *spasmo* affectis valdè compressis. Saliva nunc viscida evadit, orique ita adhærescit, ut exspui nequeat.

Mors plerumque supervenit tribus circitè diebus post morbum inceptum. *Pantaphobia* vitam

intra paucas horas extinxit, et ad unam hebdomadam aliquando producta est. Hinc causa mortis non est potūs vel cibi defectus, sed affectiones violentes functionum vitalium : Interdum æger convulsus subito moritur, se strangulare exclamans, vultu livente. Interdum debilitas generalis mortem antecedit, tunc pedetentim superventuram : delirium per aliqua temporis minuta decedit : subsequuntur visus depravatus aut deletus ; pupillæ dilatatae ; extrema pallescentia, et frigescientia ; mors.

CAP. VI.

DE SECTIONE CADAVERIS.

PERPAUCA quæ docet scalpellum de morborum huic similiūm causâ proximâ, *phænomena* parum lucifera prænunciant, effectus *pantaphobiæ*, corporibus incisis inventura.

In paucis exemplis horum nulla omnino apparuere. Ast inflammationis ferè semper vestigia sunt circa *cardiam* et *œsophagum*. *Encephalon* ejusque membranæ, lingua, *pharynx*, *larynx*, pulmones, ventriculus, et intestina, plerumque arida, notasque inflammationis exhibere, reperiuntur. Maculæ gangrænosæ sæpe in ventriculo apparuere.

CAP. VII.

DE CAUSA PROXIMA.

CAUSAM proximam esse aliquam mutationem, subtilem et vix detegendam, quam subit genus nervosum, signa supra descripta satis demonstrant. Ex plurimis signis morbi *phlogosin* vel *rheumatismum œsophagi* comitantibus, verisimile est in *pantaphobia* hanc illis præire non succedere,—gulæ inflammationem fortasse causam ejus convulsionum, non effectum, esse ;—quamvis genus nervosum ex omnibus signis primum affici videretur, et quam-

vis partium variarum circa *pharyngem* inflammatione laborantes *hygrophobia* rarissimè adorit.

CAP. VIII.

DE PROGNOSI.

INFAUSTISSIMA est. Imò, nec signa ulla nec ægri conditiones sunt, e quibus præsagium aliud qualelibet dandum: tantum morbum, remediaque si talia existunt, ignota.

CAP. IX.

DE MORBO OBTIACUM EUNDO, VEL EODEM CURANDO.

POST morbi historiæ recensionem, conatus omnes contra vim ejus sœvam his consiliis se subjicere videntur:

- I. Corpori vires, quæ veneni actioni resistant subministrare.
- II. Removere venenum, idemve reddere iners.
- III. Causas evitare quæ intervallum latendi contrahere videantur.
- IV. *Pantaphobiam* inceptam removere, remediis necessarie *specificis*.
- V. Remediis idoneis signa levare, vel saltem fatum minus terribile reddere.

Hæc consilia temporibus variis occurrerunt. Ad hæc tempora indicanda, tria Stadia constitutere juvabit.

- I. Ante venenum admotum.
- II. Post venenationem; ante *pantaphobiam* inceptam.
- III. Post morbum inceptum.

IN STADIO PRIMO.

Si *sialodelea* multo frequentior quam nunc existit unquam futura sit, sperare liceat remedium vere *prophylacticum* ex industria aucta repertum iri. Nunc temporis penes nos saltem est *panta-*

phobiam rariorem efficere numerum canum minuen-
do, canes ignotos evitando, rigidaque inclusione
*canum ubi rumor *sialodeleæ* primum auditur.*

IN STADIO SECUNDO,

Consilia Secundum, Tertium et Primum ob-
via fiunt.

CONSILIIUM SECUNDUM: Removere venenum
vel idem reddere iners. Maximi momenti est, et
quam primum implendum, ope Ligaturæ, Lava-
tionis, ScalPELLi, Scarificationis, Cucurbitulæ, Ero-
dentium, Ignis, et medicamentorum quæ Suppu-
rationem promovent.

Ad usum ligaturæ circa membrum, et truncō
propioris quam vulnus, suademur, ab effectibus
bonis quos præbet a viperâ demorsis; quamvis
ibi cursum veneni per venas ad cor impediendo
agat. Hic enim nervos membra torpefaciendo
prosit, cursumve humorum in vasis lymphaticis
prohibendo.

E vase *epistomio* instructo aqua frigida pleno
rivo ab alto in vulnus diu affundenda: nervos si-
mul torpefacit et virus eluit. Ad hoc melius

solvendum et eluendum, per fluxum sanguinis, aqua postea calida adhiberi debet.

Tota pars dentibus laniata tunc excidenda, curâ adhibitâ ne scalpellum superficiem morsam tangat. Tunc vulnus atramento implendum, quod prorsus eluendum, plagâ sæpiùs incisâ et cucurbitulis impositis ita ut virus omnino submoveatur. Aliqui suadent vulnus pulvere *nitrato* implere, qui postea deflagrandus, ut vulnus simul urat et erodat.

Erodentia plurima usurpata sunt ;—*potassa*, *soda*, et *ammonia*, *acida mineralia* fortia, cum *muriate antimonii*, et *nitrate argenti*, et nuper *acidum oxymuriaticum*, quod potiùs specificè agere creditur. His quidam objiciunt ea virus non iners facere, sed cum hoc et carne diruto massam humidam formare, viribus pestiferis adhuc pollentem. *Nitras* autem *argenti* vires veneni ulcuscularum venereorum et viperæ sine dubio aufert.

Hæc et *cauterium* ipsum in variis exemplis quæque præcipuè prosint. Semper autem curandum est ut omne punctum vulneris attingant.

Acria quæ suppurationem carent vulneri tunc

imponenda, ut actio aliena et fluxus humorum fiant.

Horum pluribus vel paucioribus quam primūm, et etiam licet plures dies præteriti sint, uti oportet.

CONSIGLIO TERTIUM. Causas evitare quæ intervallum latendi curtare videantur. Hæ, ut sæpe dictum est, motus vehementiores animi præcipue, deprimentesque imprimis sunt: his addenda, fortasse, non quæ conditionem phlogisticam corporis inducunt, sed quæ idem debilitant, qualia victus parcus et parum nutriendis, frigus, aër impurus et humidus, fatigatio;—quæ omnia, insuper, animum deprimunt, eoque, quantulunque viribus pollutia, maxime evitanda.

CONSIGLIO PRIMUM. Corpori vires quo veneni actioni obnitatur subministrare.

Substantiis innumeris ad hunc consilium implendum excogitatis semper nimium nitebatur. Omnes ut remedia *specifica* agere clarè necesse est. Ex iis *hydrargyrus* solus hodie adhibetur, —ita, ut salivationem lenem quam primūm exci-

tet, eamque continuet per spatium temporis intervallum latendi consuetius æquans.—Ea morbi futuri violentiam minutum iri, ex istiusmodi remediis satis principio sperare foret.

IN STADIO TERTIO.

O quantum iste medicus commiserandus, qui, summâ curâ et solicitudine adhibitis, signa prima morbi hujus horrendi, mortis non evitandi prænuncia, videt! Cursus *pantaphobiæ* brevis et violens, et variationes graves quamvis ignotæ quas subeat,—cognitio sua de vi partiali remediorum maxime laudatorum, et ardor honorandus fines scientiæ suæ propagandi,—ante omnia anxietas pro ægri salute—in summam angustiam eum inducunt.

Remedia nota quàm brevissimè, quia parùm valentia, hîc recensebuntur.

CONSILIIUM SECUNDUM nunc etiam non sine spe fors sequendum. Et periculum jam tantopere augetur, ut animo et vitæ amore satis præditus totum membrum venenatum cum vivendi tenui

spe commutaret. Verisimile est virus in loco demorso adhuc manere, non in vasa corporis introivisse,—morbum genus nervosum irritando, non inquinando humores excitare.

CONSILIIUM QUARTUM. *Pantaphobiam* inchoatam removere, remediis necessarie *specificis*. E paucis exemplis in quibus cum fausto eventu adhibita est, exque vestigiis visis post mortem, missione sanguinis ad animi deliquium, repetitâ, plurimi multùm hodie nituntur. Convulsiones *Antispasmodica* postulant, quæ diu usurpata sunt, certè autem sine fructu: *Opium* spem semper fefellit; inde inventiones novæ ad hoc in corporis vasa rectè infundendum, nihil proderunt. Alia remedia, planiùs specifica, olim laudabantur; *Hydrargyrus*, præcipue, ad suos effectus quàm celerrimè producendos, Oleum internè et externè, *Acetum*, *Arsenicum*, et, a morbo *tetanum* referente, *Vinum*, et similia. Notabile est ea pleraque sanationem in paucis exemplis efficisse, sed in multò majore numero nihil profuisse.

CONSILIIUM QUINTUM non omnino spennen-

dum, iis etiam qui ad sanationem perfectam non pertinentia nihili ducunt. Hic enim allaturis, vel aliis potentioribus, factis, morbus ita mitescat ut tempus periculosius transeat, haud secus ac in *typho* violento: sic minimum, specificorum actioni favebitur.

Signis, imprimis, unde nomen *Pantaphobia* derivatur, et mentis affectioni, strenue obviam eundum est. Ad hoc, omnibus non clare nocivis ægri concessis, semper suo modo se gerat. Si ita velit, ambulet, currat, habeat quæ ad dolorem levandum ei apta videntur,—hirudines, cucurbitula, *epipastica*, capiti, collo vel *epigastro*; in memoria habito impressiones externas non cupienti semper nocere. Si causam morbi non suspicatur, certè melius foret ei prorsus celare: alio candidè cum eo est agendum.

Clare constat, *hygrophobiam* et alia signa graviora inde nascentia, convulsiones scilicet generales, liquorum conspectu vel auditu semper augeri. Ægro igitur suadendum est ut non multum hauriri conetur; vel si hoc facere obfirmatum habeat, oculis clausis moliatur: aliter, nunquam rogare debemus ut bibere conetur; aqua etiam

ab eo celanda. Sed interdum *hygrophobia* quodammodo imaginaria visa est, eoque bibendo paullisper sublata.

Pari ratione rivos aëris subitaneos evitat.

Probabile est insomniam longam signa augere. Fiant quæ somnum inducant. Si non ei injucundum, in loco obscuro maneat, ab omni sono quam maximè amoto.

De Siti restinguenda, inter quædam inepta, sic scribit CÆLIUS AURELIANUS: “ — cibus dandus tenuis, et sorbilis, quo latenter cum cibo etiam potus inducatur; et panis aquâ infusus, vel alica ex aqua: facile enim accipiunt.” Omnia quæ adjuvent facienda. Æger refrigeratur; sudor minuatur, ut secernenda interna augeantur. Frigida vel aliquantulum humida lingat. Habeat fructos acidos aquâ abundantes: habeat glaciem,—vel etiam, si quando *dyscatapotia* nonnunquam imaginaria videtur, bibat: hoc faciliùs faciet, si lobi aurium simul valdè comprimantur, levi dolore fortassè majorem levante. Vomitus autem continuus omnes conatus tales inanes reddit. Saliva viscida assiduè removeatur; nam sitim ac-

cendet. Balneum vix adhiberi debet ad sitim sedandam : ægri rarissimè cupiunt.

Ad famem explendam. *Pantaphobici* solida multò faciliùs quàm liquida devorant ; et difficultas sæpe imaginaria est. Ad hanc superandam eadem ac ad *dyscatapotiam* tentanda : si nihil valeant, juscula in ventriculum, ope fistularum flexilium e cute anguilla, intestino ovillo, vel substantia **caoutchouc** nominata, confectarum, dimittere conamur ; omnibus ad vomitum sedandum simul adhibitis. Nutrimentum per rectum injici non potest, eo et ano firmiter constrictis : hinc alvus non duci potest ; purgare autem tentandum.

Pantaphobiae Spontaneæ exempla tradita tam pauca sunt, ut ad eam tractandam nihil invenio remediis parùm pollicentibus jam recensitis addendum.

FINIS.

між тим і відомо, що після цього відбувся
засідок земської ради, на якому було
зроблено рішення про заснування
Ізюмської міської управи. У цьому
засіданні було відмінено земське
відомство, а земська управа була
заснована на базі земської управи
Ізюмської волості. Це засідання
започаткувало земську управу в
Ізюмі, яка діяла до 1917 року.
Після цього земська управа
була ліквідована, а земство
залишилося лише земською
адміністрацією. Адміністрація
заснована на базі земської управи
Ізюмської волості, яка діяла
до 1917 року. Адміністрація
заснована на базі земської управи
Ізюмської волості, яка діяла
до 1917 року.

ARTH ALMIDA

